

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 88. (*Neovidensis* 1806. Nro. 82.)

Ex Campis Elysiis

Colloquium Politicum

vita functorum.

Elysium-- Meum.--Die Veneris, 24. Octob. 1806 (*Neov.* 10. Octob.)

Daemon languebat, monachus tunc esse volebat;
Ast ubi convaluit, mansit, ut ante fuit.

Colloquentes Manes:

Doctor Faust, et claudicans diabolus.

Faust. Si non fallor, cerno diabolum claudicantem, qui in mundo superiore magni momenti gessit personam.

Diabolus. Adsum ad tua obsequia.

Faust. Quid est, quod te inde exturbavit?

Diabolus. Quid agerem ibidem? Jam dudum me Philosophi saeculi 18. insectabantur, causam meam cognoverunt, decideruntque, Inferos, & Daemones dari negaverunt, ipsos ocelos volebant expugare, hac ratione ubique explosus sum, exhibitatus, & ejectus, quin me liberare potuerim. Nullibi jam reperitur diabolus, si demas os iracundi, vel admirantis. Si itaque quispiam effutiat, rapiat te diabolus! non imprecatur amplius, sed

Elapso anno mercator eandem praestare recusabat, Itaque foenerator sequentem fecit propositionem: Adjiceret mercator debitum jam pro anno praeterito censum Capitali, se velle illi adhuc addere 840 fl. et Capitale apud eum permittere pro censu uno florenno minori, quam superiore anno, ut tamen tantundem usurae habeat, ac prius. Mercator consensit. Cum fine secundi anni patuit, Capitale fuisse majus 60 florenis, quam quarta ejusdem pars.

Quaeritur: Quantum fuerit Capitale, quantus census primo, et secundo anno?

Isacus Schuster,
Francofurtensis tabellarii
filius.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes,
praeter complures alios, libri venales
prostant:

- Articuli Comitiorum Anni 1805. 20 xr. compact. 24 xr.
Historia Regni Hungariae 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. Charta scriptoria 2 fl. 15 xr.
Concordatum, et Collectio Bullarum, ac Brevium SS. P. N. Pii VII. Pont. M. super statu praesenti Ecclesiae Gallicanae; Decretum de constituendis novis Archi-Episcopis, et Episcopis, Publicatio Jubilaei, et Indultum de reducendis Festis. 8. compact. 51 xr., in charta elegante 1 fl. 12 xr.
-

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 88. (*Neovidensis* 1806. Nro. 82.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.

Elysium--Meum--Die Veneris, 24. Octob. 1806 (*Neov.* 10. Octob.)

Daemon langvebat, monachus tunc esse volebat;
Ast ubi convaluit, mansit, ut ante fuit.

Colloquentes Manes:

Doctor Faust, et claudicans diabolus.

Faust. Si non fallor, cerno diabolum claudicantem, qui in mundo superiore magni momenti gessit personam.

Diabolus. Adsum ad tua obsequia.

Faust. Quid est, quod te inde exturbavit?

Diabolus. Quid agerem ibidem? Jam dudum me Philosophi saeculi 18. insectabantur, causam meam cognoverunt, decideruntque, Inferos, & Daemones dari negaverunt, ipsos ocelos volebant expugnare, hac ratione ubique explosus sum, exhibitus, & ejectus, quin me liberare potuerim. Nullibi jam reperitur diabolus, si demas os iracundi, vel admirantis. Si itaque quispiam effutiat, rapiat te diabolus! non imprecatur amplius, sed

utitur, phrasi quae jam in proverbium abiit, & a corruptis veterum praejudiciis ad nos demigravit.

Faust. Tu ergo etiam jam nihil audiveris de Mago Doctore Faust.

Diabolus. Doctore Faust, qui animam Diabolo transcripsit? adhuc nevros pasta tractantes cecici producant eum in nudinis ad oblectandam plebem. Sunt antiquae nugae, quae adhuc de indole praeteritorum temporum perhibent testimonium. Philosophi jam etiam Doctorem Faust, miserunt in exilium, qui nobiscum cogitur idem subire fatum.

Faust. Singularis debet esse nunc mundi status. Quae viget ibidem praecipua opinio? Quovis tempore, quavis aetate certae praeteris erant in usu opiniones.

Diabolus. Mera Philosophia — A granario usque ad cellam vinariam, a palatio usque ad tugurium, a Principe usque ad rusticum — mera Philosophia.

Faust. Quid vero venit nomine Philosophiae?

Diabolus. De ejus definitione possem volumina scribere. Est cultus intellectus, qui omnia instar ardentis facis illuminat adeo, ut ubique, velut serenissimis aestatis diebus cuncta etiam noctu luceant. Est lumen, quod omnia obscura, a tenebricosa, uti oriens sol dissipat.

Faust. Praestat nec autem hominibus majorem felicitatem?

Diabolus. Sed quomodo potes talem formare quaestionem? — Quidquid videtur, & non

videtur, philosophiae subiectum est; illa dominatur universis animi affectionibus.

Faust. Exulto praegaudio. Itaque una erit, eademque consentiens vox omnium mortalium, iisdem regentur principiis, nemo, uti olim, rixabitur, disputabitque.

Diabolus. Hoc equidem non. Quamvis enim ratione omnia investigent, attamen Philosophia aureorum, bella, discordiae, flagitia, & nequitiae non sunt eradicatae. Siquidem nullum timent Cacodaemonem, fraena laxant cupiditatibus. Hoc autem ingenue fateri cogor: — deceptiones suas calidius instituunt, eoque jam in hoc genere progressi sunt, ut Angelos putares, nisi effectus contrarium doceret.

Faust. Quem igitur praestat usum Philosophia?

Diabolus. Lubens declarabo: Postquam sublimis sapientia, & ut dicere amant *illuminatio*, Diabolum e mundo eliminavit, antiqua instituta reformavit, & in omnia novitatis studium ingeneravit, quasi lasa conquivit. At paulo post invenit minoris momenti negotia inquisitione digna. Tanquam fracta gravibus laboribus delapsa est ad pueriles, & vanas investigationes. Ita nuperrime quidam Dominus Düpont Nemosiensis edidit tractatum de instinctu animalium, qui Hamburgi in germanicum idioma traducitur. Animalia, ut ille opinatur, accuratiore pollent ratione, & majorem adipiscuntur perfectionem, quam miserum genus humanum, quod nonnisi er-

rare consuevit, vixque utitur simplici vulgari-
 rum hominum ratiocinio. Tale animal, quod
 in perfectionem majores homine facit progressi-
 ones, est imprimis Corvus. Haec itaque avis
 esset prudentior, & in rebus, quibus indiget,
 magis erudita, quam miser diabolus, homo.
 Ejus clamor constat ex 25 tonis, qui omnes,
 si rite animadvertamus, a se invicem distin-
 guuntur, Kra, kre, kri, kro, kru &c.
 sunt vera grammaticalia signa, quorum quod-
 libet aliam habet significationem.

Faust. Non est ille Dominus magister lin-
 guae avium? forte vult eam docere?

Diabolus. Picae meridionalem Americam in-
 colentes magis adhuc excellent, ingenioque
 superant homines. Americani, more Euro-
 paeorum, numerum inibant digitis, suamque
 arithmetica ordinantur juxta decem digitos
 in calculo decimali. Cum autem pica tantum
 4 adeoque in utroque pede octo possit nume-
 rare, credendum est, illam octogesimalem
 computandi rationem adoptasse.

Faust. Magnificum inventum!

Diabolus. Ponamus ob oculos, inquit, pas-
 seres, quomodo receptui canant ingruente
 grandine: majori dexteritate se recipiunt, quam
 Xenophon, cujus reditus cum 10 millibus ar-
 matorum tantopere celebratur. Castores Ame-
 ricani ingeniosiores sunt Europaeis propterea,
 quod ibi longo tempore nullum gestum sit
 bellum, unde factum, ut absque impedimen-
 to, in pace potuerint suae perfectioni vacare.
 Praeterea Americani Castores abhorrent a bel-

lo, vitamque ducunt quietam, more Quakerorum, qui omnium sunt amici. Gallus gallinaceus libidine aestuans uni, quemadmodum prudentissima animalia, jungitur gallinae, nos autem fecimus ex eo Sultanum in suo Gynaecoo, vel clarius loquendo, depravavimus.

Faust. Sed si Corvus tanto praeditus est intellectu, cum diutissime vivat, deberet fieri memorum alicujus Academiae; posset enim diutius, quam homines, inquirere in scientias, cessaret tunc excusatio medicorum: *ars longi, vita brevis* — nam Doctor Corvus ipsi arti studendo superstes maneret.

Diabolus. Porro: Notum est Helvetium propugnasse, quinque digitos tanti esse ponderis, ut, si dati fuissent equo, superbum hoc animal longe graviores exantlavisset labores, et de dominatione mundi cum hominibus decertavisset. At hodierni nautuli ultra adhuc progrediuntur, asserentes, si Castores, Quakeri inter animalia, in America adhuc aliquot annis pace fuerint fructi, brevi ingentes domos, nostrarum urbium similes Havanae constructuros.

Faust. O te miserum diabolum! quales ineptias profers ex tuo Philosophico orbe! Nostine me?

Diabolus. An claudicans diabolus noscat Doctorem Faust, quae haec interrogatio? Ubi est terrarum lusus diaboli, qui mihi non fuisset cognitus? Indigna res foret claudicante Diabolo, si ille Doctorem, qui de habita cum diversis orci genii familiaritate accusatur, ex asse non novisset.

Faust. Mihi gratulor de contracta cum tam celebri Diabolo amicitia. Cum vero paulo ante mentionem inieceris belli, satia meam curiositatem.

Diabolus. Actutum, Domine Doctor! ordine narrabo omnia. Primum nonnulla de numero militum: Borussico-Saxonico exercitus, ita Byruthinae ephemerides de 1. hujus, qui sub imperio Generalis, Principis Hohenlohe congregatus est, progreditur in Marchionatum Eyruthinum; primum agmen ducit Princeps Ludovicus Ferdinandus (filius, viventis adhuc fratris Friderici Magni, Principis Borussiae Ferdinandi) Byruthina provincialis legio, et levis armaturae equites Bilenenses, antea in Marchionatu Onolsbacensi stativa habentes, se eidem adjunxerunt, videntur velle petere Byruthum, ut exercitui Mareschalli Soult &c se opponant. (Per Manheimium transiens cursor edixit gallicum princeps hospitium his postremis diebus fuisse Byruthi.

Borussicus exercitus, ut publica folia testantur, praeter numerosam militiam, continet 250 millia armatorum, in quo reperiuntur 3. Generales Campi Mareschalli, Dux Bruasvicensis, Möllendorffius, et Elector Hassiae; 7. Generales peditatus: Princeps Borussiae Ferdinandus, Princeps Dessaviensis Joannes Georgius, Courbiere, Colong, Princeps Hohenlohe, Kleist, Pirch: 5. Generales equitatus: Comes Kalkreuth, Comes Schulenburg-Kehnert, Dux Würtembergensis Eugenius, Dux Vinariensis, Köhler. Promare-

schall in peditatu 28: Ovstein, Geusau, Princeps Arausionensis, Comes Lutz, Merkatz, Comes Kunheim, Ruits, Princeps Borussiae Ludovicus Ferdinandus, Lehr, Rüchel, Comes Schmettau, Manstein, Larish, Thile, Arnim, Comes Vartensleben, Reinhart, Tempelhof, Princeps Hassiae, Seibert, Wining, Plötz, Graverde, Kalkreuth, Steensen, Romberg, Thadden, Latord. In equitatu 11. Promareschalli: Privitz, Kette, Elsner, Bismark, Blücher, Holzendorf, Brüsevitz, Helsing, Comes Hertzberg, et L'Estocque. Generales excubiarum magistri 100. Tribuni 183. Protribuni 62, sic dicti *Major* 666. Nonnulli senes Generales non ita pridem pensione donati sunt. In hanc militiam expenduntur quotannis circiter 24 milliones, qui duas tertias efficiunt proventuum publicorum. Saxonius exercitus A. 1803 numeravit 34,313, Hassia autem A. 1803 praeter 700 viros nationalis militiae 16 millia bellatorum.

Venio jam ad articulum Hamburgensem de 2. hujus. Liber Baro Jakobi Klost, post 8 dierum moram, accepta Naumburgo epistola cursu publico extraordinario missa hinc discessit Londinium.

Alter nuncius Londino de 26. Septembris refert, hodie mane Lordium Morpath cum gravi momenti propositionibus Berolinum movisse.

Ad hoc tempus quaerebat unus ex alio: — Qua de causa gerit bellum modo, recte modo Borussia? ad quam quaestionem sequens datur Gothae 30. Septemb. responsum:

Inchoati Borussiam inter, et Galliam tractatus propediem finientur. Ut ajunt, Borussia in ultima sua declaratione petit, ut Gallia

revocet suas copias ex Germania, negotiis Septentrionalibus nullas ponat difficultates, ad conciliandam in Continente pacem accedat. Dies 8. Octobris est constituta, quae bellum, vel pacem decidet. Borussicam primarium hospitium Naumburgo Vinariam est translatum.

B I O G R A P H I A.

Faust Joannes secundum communem opinionem, magicis artibus valde deditus, Kundlingae in provincia Anhaltina, vel ut aliis placet Knittlingae in Ducatu Wirtembergico oriundus, horribilem oppetiit mortem. Res ejus gestae non modo quater sunt impressae, et adhuc A. 1711 Norimbergae germanice, sed etiam in Anglicam, Hollandicam, et, Gallicam linguam translatae, variisque observationibus illustratae. Joannes, Conradus Durrius Professor Altorfiensis in sua epistola de Joanne Fausto ad D. Georgium Sigismundum Führerum data credebat se totius Historiae de Joanne Faust fundamentum reperisse in odio Monachorum, quo ferebantur in celebrem Typographum Moguntinum Joannem Faust, vel Fust, sua enim typographia ingenti eos privavit emolumento, quod in eos redundabat ex descriptione Manuscriptorum. Marchandius in suo Lexico: *Dictionnaire historique, et critique Art. Fauste*, operose inquisivit in fontes rerum portentosarum de hoc viro editarum, docetque, Scriptores, qui ejus meminerunt, nec ratione ejus patriae, nec Parentum, nec nascenti conditionis, nec vitae, nec portentorum, nec denique mortis inter se consentire, adeoque rem totam, velut miseram fabulam Romanensem esse habendam, quae in oblectamentum, et terrorem plebis sit consarcinata, tamque parum exitisse Doctorem Faustum, quam parum Matthaei Alemanni Guzmanum Alfaragio, aut Soreli Francionem; Et ideo etiam Durrius parcere potuisset labori, quaerendo originem hujus fabulae apud Monachos.